Plin. epist. 3, 21

PLINIVS IVNIOR COR- nelio Priſco. S. P. D.

AVdio Valerium Martialem deceſsiſſe, & moleſte fero. Erat homo ingenioſus, acutus, acer, & qui plurimum in ſcribendo & ſalis haberet, & fellis, nec candoris minus. Proſecutus eram uiatico ſecedentem, dederam hoc amicitiæ, dederam etiam uerſiculis, quos de me compoſuit. Fuit moris antiqui, eos, qui uel ſingulorum laudes, uel urbium ſcripſerāt, aut honoribus, aut pecunia ornare. Noſtris uero temporibus, ut alia ſpecioſa, & egregia, ita hoc in primis exoleuit. Nam poſtquam deſiuimus facere laudanda, laudari quoq; ineptum putamus. Quæris qui ſint uerſiculi, quibus gratiā retulerim. Remitterem te ad ipſum uolumen, niſi quoſdā tenerem. Tu, ſi placuerint hi, cæteros in libro requires. Alloquitur muſam. Mandat, ut domū meam in exquilijs quærat, adeatq; reuerenter.

Sed ne tempore non tuo diſertam
Pulſes ebria ianuam, uideto.
Totos dat tetricæ dies Mineruæ,
Dum centum ſtudet auribus uirorum
Hoc, quod ſæcula, poſteriq; poſſint
Arpinis quoq; comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora eſt tua, cum fuerit Lyæus.
Cum regnat roſa, cum madent capilli.
Tunc me uel rigidi legant Catones.

Meritòne eum, qui hæc de me ſcripſit, & tunc dimiſi amiciſſime, & nunc ut amiciſſimum defunctum eſſe doleo?

leo? dedit enim mihi, quantum maxime potuit, daturus amplius, ſi potuiſſet. Tametſi quid homini poteſt dari maius, quàm gloria & laus, & æternitas? At non erunt æterna, quæ ſcripſit, non erunt fortaſſe. Ille tamen ſcripſit tanquam eſſent futura. Vale.

EMENDATIONES.

Pag. 371. uer. 8. *ei, legend.* & 384. 15. [illegible]. 388. 23. *ut & alia. Ibid.* 24. *& nihil coram eis turpe, dici.* 391. 10. *colloquio quod.* 406. 24. *pro à lege iis.* 415. 25. *pro enim, autem.* 419. 27. *pro carmina, crimina.* 420. 26. *pro fuerint, ſint.* 421. 12. *tolli.* 424. 18. *periculum eſt.*

M. V. Martialis poetae facetissimi epigrammata
e-rara.ch
Martialis, Marcus Valerius Tiguri, an. 1544
Zentralbibliothek Zürich
Signatur: 7.377